

illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

DE. corrector ! nemp' tua arte viginti minae
pro psaltria periere : quae quantum potest
aliquo abiciundast, si non pretio at gratiis.

25

745 *MI.* neque est neque illam sane studeo vendere.

DE. quid igitur facies ? *MI.* domi erit. *DE.* pro divom
fidem !

meretrix et materfamilias una in domo ?

MI. quor non ? *DE.* sanum te credis esse ? *MI.* equidem 30
arbitror.

DE. ita me dī ament, ut video tuam ego ineptiam,
750 facturum credo ut habeas quicum cantites.

MI. quor non ? *DE.* et nova nupta eadem haec discet ?

MI. scilicet.

DE. tū inter eas restim ductans saltabis ? *MI.* probe.

DE. probe ? *MI.* et tu nobiscum una, si opu' sit. *DE.* 35
ei mihi !

non te haec pudent ? *MI.* iam vero omitte, Demea,
755 tuam istanc iracundiam atque ita uti decet
hilarum ac lubentem fac te gnati in nuptiis.

ego hos convenio, post huc redeo.— *DE.* o Iuppiter,
hancin vitam ! hoscin mores ! hanc dementiam !

40

uxor sine dote veniet ; intu' psaltrias ;
760 domu' sumptuosa ; adulescens luxu perditus ;
senex delirans. ipsa si cupiat Salus,
servare prorsu' non potest hanc familiam.